

non exstant\*), nimirum: 1. Sanctus, Domine Deus, es. 2. Sanctus et gloriosus es. 3. Domine Deus omnipotens. 4. Domine Deus universorum. 5. Christe Deus Verbum.]

*Cum autem movet ordinans, flabella cum eo commovent diaconi. Dum autem repetit orationem inflexionis, dicant quod est dicendum.* Veniat Spiritus Sanctus et habitet super unumquemque eorum secundum promissionem tuam, Redemptor noster. Ne prives eos, Domine, dono Spiritus Sancti. Hoc a te peiimus acceptator precum, videlicet Spiritum illum Paraclitum: et propterea clamamus: Sanctus es, Spiritus ille Paraclitus; Sanctus es, Spiritus ille, qui vitam fecit; Sanctus es, Spiritus ille, qui datus est nobis. O domum Spiritus Sancti! o mysterium magnum et ineffabile! o mirabilia tua, Domine, erga genus nostrum! Domine omnium. Laus tibi! Et reliqua. *Postea reveritur episcopus ad occidentem, ad eum, qui ordinatur, dexteramque suam imponit super caput ejus, et eum signat inter oculos sic dicens:* Ordinatus est in Ecclesia sancta Dei. *Archidiaconus vero dicit:* N. diaconus ad altare sanctum domus Genitricis Dei et sanctorum Apostolorum et quadraginta victoriosorum martirum et sancti Domini N. loci N. *Episcopus addit, cum dicit N.: diaconus ad altare sanctum loci orthodoxi, qui prius nominatus est. Diaconus:* Benedicto, Domine. *Episcopus:* In nomine Patris, Amen, et in nomine Filii, Amen, et in nomine Spiritus Sancti in vitam saeculi saeculorum, Amen. *Tunc reveritur episcopus ad eum, qui ordinatur, et eum apprehendit per manum dexteram et erigit, accipitque orarium et circumfert super caput dicens:* In laudem, et honorem, et decorem, et celsitudinem sanctae Trinitatis et consubstantialis, atque ad pacem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei. *Et respondet ei clerici eadem sententia. Postea deprimit orarium, illudque ponit super humerum ejus sinistrum, eique tradit flabellum et unusquisque recitat responsum:* In laudem et reliqua. *Iterum accipit episcopus thuribulum, et adoramenta in eo ponit, eique tradit, et circumit populum\*\*) et unusquisque idem responsum recitat. Si autem multi fuerint, omnes ita consecrat. Tunc incipiunt canticum et ei pacem tradunt, ipse vero mysteriorum communionem.*

#### *Ordinatio archidiaconi.*

De hac tradit Assemanus senior\*\*\*): Syri Jacobitae in ordinatione archidiaconi eodem ritu ac Maronitae utuntur, excepta traditione evangelii et oratione illa, cujus initium: „Deus sanctissime“ et veli ad pectus

\*) Cf. Jacobum Edessenum de antiqua Syrorum liturgia ap. Asseman. Bibl. Orient. T. I. p. 479—486: „Etiam in consecratione chrismatibus tres olim duntaxat orationes recitabantur, sed et orationes chirotoniae pro singulis ordinibus una tantum, et dicebantur super ordinandum in impositione manus, et in silentio hoc est in inclinatione. Quas postea ampliavit doctores.“

\*\*) Teste etiam Assemano juniore in notis ad ordinationem diaconi Nestorianam Jacobitae diacono flabellum tantum et thuribulum tradunt.

\*\*\*) Bibl. Orient. T. III. P. II. p. 844.

electi impositione. Barhebraeus autem\*) haec de eadem animadvertit: „Archidiaconus vero non promovetur per impositionem manus, sed solummodo per systaticon.“

#### *Ordinatio diaconissae.*

Michael Jacobitarum patriarcha, qui anno Christi 1199. obiit, in Ponticali a se edito, in quo diaconissas in ecclesia desiisse testatur, episcopis tamen potestatem facit, eas propter urgentem necessitatem ordinandi\*\*) Quoad ritum ordinationis notandum est, eum a ritu benedictionis abbatissae non differre\*\*\*). Etenim uti testatur Severus in canone a Barhebraeo\*\*\*\*) relato: „Mos in Oriente, seu ditione Antiochea, obtinuit, ut abbatissae monialium diaconissae sint, ac subjectis monialibus sacramenta distribuunt, idque presbytero casto aut diacono absentibus duntaxat, minime vero iis praesentibus.“ Recitatur autem in hac benedictione eadem oratio, quae dicitur in oratione chorepiscopi et perio-deutae. Deus, largitor bonorum, paucis immutatis, quae abbatissae non conveniunt†) Altera incipit: Da ei, Domine. Neutra aliquid continet, quod ad officium diaconissae adhuc referatur. Quibus ea addimus, quae ut canon Severi a Barhebraeo††) traduntur: „Chirotonia diaconissae fiat secundum regionis consuetudinem. Porro in Oriente notum est, quod humero ejus orarium imponitur instar diaconi. Ad cujus titulum ordinata est, in eo sanctuario duntaxat ministrat.“ Ex eodem†††) autem ordinantur in porta, non intra altare, ut subdiaconi.

#### *Ordinatio presbyteri.*

Gregorius Barhebraeus in Nomocanone.

(Cap. 7. sect. 5. Directio. p. 48.)

„Diaconus primum ordinetur ille, qui offertur, et deinde presbyter. Hic autem post circumgestionem mysteriorum coram altari procumbit in genua sua, habens supra se orarium. Et post psalmum et lectiones oret episcopus inclinationem; et extollat vocem suam — Et suscipe presbyterum. Et cum dat pacem, praedicet archidiaconus praeconium — Gratia. Deinde inclinatio, et alia: postea manus suas circum mysteria ter ferat, et super caput ejus rursus ter, et ponat dexteram suam et oret invocationem Spiritus Sancti. Deinde ponat dexteram suam rursus super caput ejus, ac dicat: Prometus est in ecclesia sancta. Et respondeat archidiaconus: Talis presbyter ecclesiae tali. Deinde signet eum in fronte pollice suo in nomine Trinitatis: et oret inclinationem, et aliam

\*) Cap. 7. sect. 4. p. 50.

\*\*) Bibl. Or. T. III. P. II. p. 851., Tom. II. p. 369.

\*\*\*) Bibl. Or. T. III. P. II. p. 790.

\*\*\*\*) Cap. 7. sect. 7. p. 51.

†) Bibl. Or. T. III. P. II. p. 832 sq. p. 917.

††) L. c.

†††) Cap. 7. sect. 8. p. 53.

susceptionis gratiae. Deinde circumferat orarium et demittat in collum ejus ceu torquem, similiter et casulam, ac phainam, et det ei pacem, atque illum communicet.

#### Textus Morini.

Iterum cum Deo, omnium Domino, incipimus scribere ordinem chirotoniae presbyterorum.

*Presbyter quando ordinatur, stat coram altari subter gradus ipsius, caput habens apertum et inclinatum, donec perficiatur oblatio. Tunc episcopus tondet in formam crucis capillos ejus, qui ordinatur \*) trahitque eum institutori suo et praeceptum dat illi de perfectione doctrinae suae et ordinis sui, atque etiam eum admonet, ut institutori obediat ut domino suo. Statim postea apprehendit episcopum manum ejus dexteram dicitque: Spiritus Sanctus vocat te, eumque introducit ad altare et pro-cumbere facit super duo illius genua coram altari, manus habentem junctas ante se et orarium diaconatus super se. Procumbit autem super ambo genua sua, eo quod presbyteri sunt veluti purificantes et illuminantes. Oratio principii et reliqua. Archidiaconus hoc praeconium proclamat: Gratia Domini nostri Jesu Christi, quae omni tempore perficit defectus nostros secundum voluntatem Dei Patris, in virtute Spiritus Sancti, adsit iis, qui hic offeruntur, et cum timore et tremore fideque vera colla sua coram altari sancto incurvant, roganique, ut mens sua et cogitationes ad te intente aspiciant, qui habitas in excelsis, et expectant donum tuum coeleste. Ipsa est, quae vocat et offert ex ordine diaconorum ad ordinem presbyteratus N. presbyterum ad altare sanctum et divinum domus Genitricis Dei Mariae et duodecim sanctorum Apostolorum, et quadraginta martyrum victoria inclitorum, et Patris nostri Domini Matthaei, et Domini Zachaei, et Domini Abraham, qui est in monte Alpha, et victoriosi martyrumque coronae Domini Bohenam, necnon Sancti Domini N. loci N., qui est sub potestate throni apostolici Thagarith \*\*) amantis Christum et a Christo amatae. Cum periculo suo eos offerunt. Precemur igitur omnes, ut descendat super eos gratia et il-lapsus Spiritus Sancti ex nunc et usque in saeculum. Ter ideo clamus: Kyrie eleison. Et reliqua.*

*Episcopus ponit manus suas super mysteria, et extendit brachia sua colligique et contrahit ea tribus vicibus super corpus et sanguinem, accipiens ea calice in pugillum suum, dum colligunt ea et cooperiunt pecto seu linteo sacro. Postea receritur ad eum, qui est ordinandus, et imponit manus suas super caput ejus easque illi admittitur; iterumque attollit manus, porrigens brachia sua in altum, easque deprimit tremulas super caput ejus, hocque tribus vicibus facit episcopus ipse, oculis ipsius*

\*) De hac tonsura vide, quae in dissertatione nostra et ad ordinationem diaconi dicta sunt. Scinditur tonsura presbyterandis apud Graecos et Maronitas (Bibl. Or. T. III. P. II. p. 816).

\*\*) Haec non est Antiochia, ut putabat Morinus, sed sedes Maphriani sive Catholici Orientis, ut jam notavit Renaudotius in opere MS. de ordinationibus p. 42. cf. Lit. T. II. p. 271. n. 266.

*desuper cum timore aspicientibus. Post haec ponit dexteram suam super illius caput, et tegit manus et caput illius, qui ordinatur, cum phaina. Dextera illius ponetur super ejus caput et sinistri a hinc et hinc movebitur, circumferetque sinistram suam tribus vicibus super cervicem ipsius et faciem: sicque faciet super unumquemque eorum\*).*

*Cum autem commoveat, stabella cum eo commoveat diaconi. Dum vero repetit orationem inflexionis seu secretam, dicunt quod dici solet, Invocatio Spiritus Sancti et reliqua. Postea reveritur episcopus ad occidentem, ad eum, qui ordinatur, imponitque dexteram suam super caput ejus et eum signat inter oculos, sic dicens: Ordinatus est in Ecclesia sancta Dei. Archidiaconus dicit: N. presbyter ad altare sanctum domus Genitricis Dei et duodecim Apostolorum sanctorum, et quadraginta martyrum victoriosorum, et sancti Domini N. loci N. Episcopus addit, cum dicitur: N. presbyter ad altare sanctum loci orthodoxi, qui prius nominatus est. Diaconus: Benedic, Domine. Episcopus: In nomine Patris, Amen. In nomine Filii, Amen. In nomine Spiritus vivi et Sancti, in vitam saeculi saeculorum, Amen. Cum autem confecerit tria crucis signa, tunc, qui consecratur sacerdos, sive unicus fuerit, sive plures, redit ad altare, hanc mystice dicens orationem. Suscepimus gratiam tuam, Domine noster omnipotens, et reliqua.*

*Post haec redit episcopus ad eum, qui ordinatur, eumque apprehendit per manum suam dexteram et erigit. Archidiaconus autem dicit: Benedic, Domine. Episcopus accipit orarium, quod super ipsum positum est, et traducit illud super humerum ejus dexteram a parte anteriori dicens: Ad laudem, et honorem, et decorem, et exaltationem Trinitatis sanctae et consubstantialis, et ad pacem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei. Respondent clerici eodem modo: Ad laudem et reliqua. Et cum pompa deferat casulam et tunicam et zancadas et cingulum dicitque: Ad laudem et reliqua \*\*). Deinde tradit ei thuribulum et praecipit, ut imponat odoramenta \*\*\*) diciturque ordo communis et ei adiungitur: Ad laudem. Respondent consimiliter. Apprehendit autem episcopus manum eum, qui ordinatus est et adducit, ut osculetur mensam vitae, eaque salutata manum episcopi deosculatur, qui ipse pacem illi donat jubetque, ut caeteri omnes illi quoque pacem donent. Et statim obsignat episcopus consummationem corporis sancti cum populo, eumque communicat et*

\*) Bibl. Or. T. III. P. II. p. 818. testatur Assemanus, orationem, quae ad hanc manus impositionem dicitur et forma est, eandem esse ac apud Maronitas: Deus magne et admirabilis. Quatuor autem alias quae sequuntur apud Maronitas, apud Jacobitas non usuvenire.

\*\*) In Pontificali descripto ex autographo Michaelis patriarchae, postquam orarium ex posteriore ad anteriorem partem reductum est, induitur ordinatus presbyter primum pallio seu casula, loco tunicae sive sticharii Graecorum, deinde Phaino h. e. penula, quae est Phenolium, apertum tamen ex parte anteriori ad instar pluvialis Latinorum. (Bibl. Or. T. III. P. II. p. 819.)

\*\*\*) Quod apud Nestorianos ordinato presbytero liber evangelii traditur, apud Maronitas circumferendus datur, id non occurrere apud Jacobitas Syros, ait Assemanus Bibl. Or. T. III. P. II. p. 820.

*praecipit, ut ipse congregationem communicet. Cruce autem signabit et faciet episcopus, legens super eos admonitionem consuetam dum sese salutant.*

#### *Ordinatio chorepiscopi et periodontae.*

Licet apud Jacobitas distinguantur chorepiscopi et periodontae, una tamen eorum est ordinatio\*). Orationes autem duae, quae a Jacobitis dicuntur in ordinatione chorepiscopi et periodontae, ex Assemano sunt eadem cum exigua differentia, quae habentur apud Maronitas in ordinatione chorepiscopi, qui cum episcopo est. Sunt autem hujusmodi\*\*): Deus largitor bonorum munerum, qui omnia hominum opera intelligis, cunctasque eorum vias respicis, qui providentia tua eos, qui tui indigent comprehendis: adjuva, quaesumus, hunc famulum tuum et da ei gratiam, diligentiam, vigilantiam, prudentiam, virtutem, viresque, ut tibi in hoc sibi commissio ministerio placeat: dignumque effice, ut pure et sine labe in illo se gerat, ut dirigat in via recta, justum iudicium proferat, et ab iis, qui sibi subjecti sunt, amputet omnem rationi prudentiaeque et orthodoxae fidei adversantem impetum, ita, ut haec omnia faciens ad gloriam tuam Deus Pater, et ad aedificationem Ecclesiae tuae, et ad incrementum populi tui, inveniat gratiam et misericordiam coram te et haeres fiat sortis oeconomorum fidelium et prudentium, per miserationes unigeniti Filii tui, per quem et cum quo tibi convenit gloria et honor ac potestas cum Spiritu Sancto nunc etc.

Det tibi Dominus, ut sis in bonam aedificationem et incrementum profectumque fratrum, et largiatur tibi intellectum, ut errantes reprehendas, arguas et increpes cum fiducia et suavitate, hominesque cum charitate excipias\*\*\*), sintque opera tua cum modestia et castimonia, ut haec omnia ad gloriam Dei fratrumque in timore Dei profectum faciens invenias gratiam et misericordiam haeresque fias sortis oeconomorum fidelium et prudentium, qui in iustitia et sanctitate ministrant, per miserationes ejusdem Domini Dei etc.

#### *Ordinatio episcopi.*

(Textus Morini.)

Ordo chirotoniae episcoporum, metropolitatum et patriarchae. Postquam circumtulertur mysteria divina, dat patriarcha cidarim uni ex episcopis, et ponit eam super caput ordinandi, eumque assumunt duo episcopi, unus per dexteram, alter per sinistram, et adducunt eum coram patriarcha. Jabet autem patriarcha eum, qui ordinandus est, genua ponere; deinde dicit orationem. Postea sedent patriarcha, episcopi et omnis clerus. Tunc dat patriarcha confessionem ordinando, qui surgens de meridie tendensque versus aquilonem eam legit et testimonium

\*) Bibl. Or. Tom. II. Diss. de Monophysitis n. X. Tom. III. P. II. p. 790, 829 sqq.

\*\*\*) Bibl. Orient. Tomo III. P. II. p. 832 sq.

\*\*\*\*) Addunt Maronitiae: et signes eos cruce et puro chrismate.

perhibet de illo. Et postquam legit, tradit eam patriarchae coram universa congregatione etambo genua flectit coram altari sancto, existente tunc super ipsum vestis et ornatus sacerdotals ordinis. Surgit tum patriarcha et incipit orationem. Et dicit patriarcha: Pax vobis. Populus: Et cum spiritu tuo. Pater noster. Et unus ex episcopis alta voce pronuntiat praeconium hoc: Gratia divina, quae infirma sanat et deficientia complet et ecclesiarum curam gerit, vocat et promovet hunc N. amanentem Dei presbyterum, qui est hic proximus, ad episcopatum aut metropolitatum urbis N., quae est sub potestate apostolica et divina Antiochiae urbis benedictae, amantis Christum et a Christo amatae, et metropolis Orientis totius orthodoxi. Precemur igitur omnes, ut veniat super eum gratia et habitatio Spiritus Sancti. Et clamat ter populus: Kyrie eleison.

Deinde sumit patriarcha dona ex corpore et sanguine, cum sunt utraque in invicem conjuncta\*).

Postea revertitur ad eum, qui ordinatur. Tum evangelium super caput ejus apertum tenent episcopi quotquot sunt. Patriarcha autem ponit manus suas super caput ejus subter evangelium, eas autem movet, dum episcopi attollunt evangelium desuper manus patriarchae et deprimunt illud, quoties movet; oculi ejus interim cum timore suspiciunt in altum. Ter sic facit. Post tertiam autem motionem imponit patriarcha dexteram suam super caput illius, qui ordinatur, sinistram mutans in modum orbis seu circuli super caput illius, qui ordinatur. Interea cum quiete et silentio tenent episcopi evangelium super caput illius et precantur\*\*).

Tunc apprehendit patriarcha eum, qui ordinatur, per manum dexteram eumque erigit, et vestit tunica et phaino albo, ponitque cidarim seu mitram super caput ejus. Insuper patriarcha illum in throno collocat, et circumferunt eum tribus vicibus, et unaquaque vice patriarcha exclamat: Dignus. Tunc revertitur patriarcha ad eum, qui ordinatur, et apprehensa ejus dextera deducit e throno. Deinde ipse patriarcha pastorale pedum dextera in ejus summitate apprehendit, et unusquisque ex episcopis illud assumit juxta ordinem suum. Et ille, qui ordinatus est, illud apprehendit subter manus episcoporum, et precatur. Post orationem exclamat patriarcha, suavi cantu sic dicens: Virgam fortitudinis misit\*\*\*) tibi Dominus ex Sion, et dominabitur inimicis tuis\*\*\*\*). Et hoc similiter dicitur ab episcopis et a clero et a patriarcha tribus vicibus. Postea dat patriarcha baculum ei, qui est ordinatus, et egrreditur ad portam altaris

\*) Hic dicitur oratio: Etiam, Domine Deus, dignum hunc servum tuum effice, quam communem Maronitis et Jacobitis testatur Assemanus Bibl. Or. T. III. P. II. p. 695.

\*\*\*) Bibl. Or. T. III. P. II. p. 695. testatur Assemanus, in formam eadem duas adhiberi orationes, quae apud Maronitas sunt, nempe: Deus, qui universam Ecclesiam tuam etc., et: Deus deorum et Dominus dominantium, etc.

\*\*\*\*) In ordinatione Maronitica: emittet.

\*\*\*\*\*) Dominaberis.

et signat populum cum isto baculo tribus vicibus in figuram crucis: quo facto reddat baculum patriarchae.

Finis cum auxilio Domini nostri.

#### Ordinatio metropolitae et patriarchae.

Eandem esse apud Syros Jacobitas episcopi, metropolitae, Maphriani sive catholici, et patriarchae ordinationem, testantur titulus ordinationis episcopalis apud Morinum: Ordo chirotonomiae episcoporum, metropolitae et patriarchae, Gregorius Barhebraeus in descriptione ordinationis metropolitae, catholici et patriarchae mox afferenda, Renaudotius\*) et Assemanus in Bibliotheca Orientali\*\*). Ponitur tantum in ordinatione metropolitae et catholici titulus ejusmodi loco episcopi. In patriarchae ordinatione pauca immutantur vel adiunguntur.

Sunt autem haec ex Assemano\*\*\*), ad quem remittimus quoad ea, quae ad electionem patriarchae Jacobitici pertinent. Olim ad senioremem episcopum patriarchae ordinatio pertinebat, in synodo vero Caphartutae 869. a Johanne patriarcha statutum est, ut Maphrianus electo patriarchae manus imponeret, postquam jam a saeculo VII. mediante Maphriani ordinationem sibi arrogaverant patriarchae eo pacto, ut Maphrianus patriarcham, patriarcha Maphrianum ordinaret. Duodenarius episcoporum numerus ad ordinationem patriarchae commendatur in Pontificali Syrorum Maronitarum Jacobitarumque\*\*\*\*). Funguntur autem episcopi presbyterorum assistentium et diaconorum officio, quin tamen vestem diaconalem induant, uti fit apud Nestorianos†). Quae autem in ipso ordinationis patriarchalis ritu propria habentur, ex codice Vaticano Ecchelleni 4, qui Pontificale Michaelis patriarchae continet, ad verbum allegavit Assemanus††): „Consecrationis patriarchae tria sunt propria: primum, quod suffragio, hoc est consensu omnium episcoporum eligitur, et hoc demonstrat, eum esse patrem communem totius ecclesiae et patrem patrum. Secundum invocatio Sancti Spiritus, quae tribuitur Clementi, quam inferius describemus et quae super patriarcham tantummodo ab episcopis consecrantibus recitatur. Tertium hasta, hoc est, baculus, quae tenenda est ab omnibus episcopis simul et a singulis ex ordine juxta antiquitatem suam, et deinde assumitur manus ejus, qui in patriarcham eligitur, et super manus omnium collocatur, et hoc demonstrat, quod ex voluntate et consensu totius ecclesiae, in qua bene complacuit Spiritui S., tradita illi sit potestas singularis supra omnes ordines sanctae ecclesiae Dei†††). Porro de professione fidei a patriarcha emittenda: „Post lectionem evangelii sedet praeses synodi in sede sua et episcopi, unusquisque juxta gradum suum. Tunc episcopi adducunt ordinandum ad cornu altaris au-

\*) Perpétuité I. 5. c. 10. col. 963.

\*\*) T. II. Diss. de Monophysitis n. X., T. III. P. II. p. 790.

\*\*\*) Bibl. Orientalis T. II. Diss. de Monophysitis n. VIII.

\*\*\*\*) T. III. P. II. p. 679.

†) Ibid. p. 682.

††) Diss. de Monophysitis n. VIII.

†††) Cod. Ecchellen. 4. p. 149.

strale et jubente praeside synodi legit tomum homologiae, quem sua conscripsit manu. Tum tradit scriptum a se tomum praesidi synodi, ut custodiatur\*). Ritus enthronismi in eodem codice\*\*) ita describitur: „Tunc admovent sedem seu thronum, cui eum imponunt versa facie ad occidentem, et apprehendunt thronum episcopi et presbyteri, et elevant illum tribus vicibus, et, praeside synodi unaquaque vice inchoante, excipiunt alii dicentes: ἄξιός, dignus, dignus, et clamat populus totus: dignus, dignus. Denique\*\*\*) de traditione baculi, quae fit ad patriarcham. „Quum ei baculum pastorem tradunt, qui potestatis spiritualis signum est, omnes (episcopi) illum tenent unusquisque secundum suam antiquitatem: deinde manum ejus dexteram, qui in patriarcham ordinatur, apprehendunt et elevant illam super omnium manus; ita ut summum baculi verticem is teneat, atque ita perficitur.“

Ex codice Florentino testante Renaudotio\*\*\*\*) peracta ordinatione omnes episcopi praesentes manus imponunt ei dicentes: „Imponimus manus nostras huic famulo Dei a Spiritu Sancto electo etc.“ Haec si electus sit presbyter. Sin autem jam sit episcopus, apud Jacobitas non est abusus ille, qui occurrit apud Nestorianos, ut integrum ordinationis episcopalis ritum repetant. Ex Barhebraeo in vita Ignatii Davidis patriarchae recitatur tantum super episcopum in patriarcham evehendum invocatio Sancti Spiritus, quae S. Clementi tribuitur et patriarcharum propria est; traditur baculus pastoralis, ponitur manus ejus super manus omnium, fit enthronismus et processio per ecclesiam ritu patriarchis proprio†).

#### Gregorius Barhebraeus in Nomocanone.

(Cap. 7. sect. 3. Directio. p. 44.)

Si presbyter fuerit, qui vocatur ad metropolitae, aut catholici, aut patriarchae gradum, tota synodus genuflectat ei, ac dicat: Spiritus Sanctus vocat te ad ministerium sic, et sic. Et ubi processit, ac dixit: consensio, et munus excipio, in genua procumbit, et totum ministerium episcopatus super ipsum perficitur: et in loco episcopi metropolitae, aut catholici, proclamatur. Super patriarcham, praecipue dum attollitur evangelium supra caput ejus, oratio illa, quae in libro quinto Clementis est, dicitur: qui ostendisti Abraham, et Eleazarum et Phinees. Et si episcopi placatores, Moysen, et Aaron, et Eleazarum et Phinees. Et si episcopus est ille, qui ad honorem metropolitae offertur, per scripta systematica synodi perficitur dumtaxat, et non per secundam impositionem manus.

Et si episcopus ad catholicatum, aut patriarchatum praesentatur, aut catholicus ad patriarchatum, ne procumbat, sed stet coram altari indutus ordine suo postquam per positionem genu a synodo vocatus fuit: et

\*) Cod. Ecchellen. 4. p. 164.

\*\*) p. 175.

\*\*\*) p. 150.

\*\*\*\*) Perpétuité I. 5. c. 10. col. 963.

†) Bibl. Or. T. II. Diss. de Monophysitis n. VIII. et p. 371.

oret praeses synodi inclinationem rō: Emundationem a pollutione. Et attollat vocem suam. Et suscipe catholicum, aut patriarcham. Deinde praedicet unus episcopus: Gratia divina. Deinde circumgestent eum super sedem, tribus vicibus dicendo. Axios. Deinde legatur evangelium pastoris boni. Postea oret praeses synodi inclinationem susceptionis gratiae, et convertatur ad occidentem, et apprehendat ipse ac episcopi cum vocato hastam, quisque in suo ordine; et deinde elevent manum ejus supra omnes. Exclamet praeses synodi: Virgam fortitudinis.

## 2. Ordinationes Syrorum Jacobitarum ex Renaudotii versione codicis Florentini.

### Ordinatio lectoris,

qui etiam vocatur anagnostes.

*Quando lector ordinatur, stat ille coram altari discoperatus, et inclinato capite. Archidiaconus dat incensum episcopo quater, qui interea dicit orationem incensi secreto; et ea completa dicit.*

Rogamus et precamur te Domine Deus, suscipe servum tuum istum in lectione in Ecclesia tua sancta: instrue illum sapientia mandatorum tuorum: da illi intellectum justificationum tuarum, ut cum timore exhibeat tibi servitutem; praestans illi, ut vas electionis, lectorque honorabilis coram te sit: ut inveniat quoque misericordiam in conspectu tuo, cum omnibus, qui a saeculo placuerunt tibi. *Elevens vocem:* quia tu Deus es misericordiam volens, et benignitate erga homines plenus: teque decet gloria, honor et adoratio ab omnibus, Pater, Fili, et Spiritus Sancte, nunc etc.

*Populus.* Amen.

*Episcopus.* Pax vobis omnibus. *Populus.* Et cum spiritu tuo. *Episcopus secreto.* Deus magne, et donorum dives, qui ordines Ecclesiae tuae concessisti, et gradus ministerii in ea constituisti, effundisque dona tua super servos tuos, sanctifica quoque servum tuum istum, et elige illum in lectorem, et praesta illi ut cum omni sapientia et intelligentia, meditationem et lectionem faciat sermonum divinatorum. Imple illum donis tuis, conservatum in moribus inculpatis. *Elevens vocem:* Per miserationes unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo Sanctissimo, bono et vivificante tibi que consubstantiali.

*Et conversus ad eum episcopus, utraque manu tenens illius tempora, dicit secreto.* Deus magne et amator hominum, in cujus manibus omnia comprehenduntur; et cujus nutu omnia continentur: qui omnibus proximus es, quique assistis omnibus, aspice hunc servum tuum, qui a nobis offertur, ut sit praedicator sermonum tuorum sanctorum, Testamenti Veteris et Novi, et annuntiet populo tuo verba tua sancta et praecepta tua recta, et magna voce proclamet doctrinas tuas divinas et salutare, quas instituisti ad auxilium et salutem animarum nostrarum. *Elevens vocem.* O Deus fac illum sapientem in mandatis tuis, et intelligentem in justificationibus tuis. Illumina oculos mentis ejus, ad illustrationem scientiae mandatorum tuorum; et da illi, ut cum puritate cordis et fide non ficta meditationes et lectiones eorum

faciat, ad aedificationem eorum qui narrant gloriam et laudem regni tui, Pater, Fili, et Spiritus Sancte, nunc et semper et in saeculum.

*Imponit deinde librum super pectus ejus, quem gestat. Et postea dat pacem altari tum episcopo et circumstantibus; daturque ordinato Eucharistia.*

### Officium ordinationis subdiaconi.

*Quando ordinatur subdiaconus, stat infra gradus altaris, capite intecto, et inclinato donec absolvetur liturgia. Ea finita episcopus dexteram ejus tenens jubet illum ad altare ascendere, statuitque illum coram mensa vitae, eo ordine quo prius: tum dicit orationem sequentem.*

Confirma Domine Ecclesiam tuam sanctam, super petram immobilem fidei orthodoxae: a te confortetur, et a te suscipiat auxilia perficiendi efficacia, et dona divina, quibus illuminentur filii ejus ad ministerium pure et sancte exercendum in templo tuo sancto: et glorificent te cum ordinibus supernis materiae expertibus, Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum, in saecula. Amen.

*Proceum.* Gloria et laus et adoratio etc. illi misericordii, multaeque bonitatis, qui genus humanum ex nihilo ad illud quod est produxit, creavit et ornavit: cumque peccando cecidisset, salvavit et erexit, et ad gradum sublimem et magnum donorum suorum divinatorum attollere dignatus est. Te Domine plene misericordia et clementia obsecramus, et deprecamur, hoc tempore cum hoc incenso aromatum, ut per easdem miserationes tuas aeternas digneris suscipere et adjungere ad ministerium templi tui, puri et sancti, servum tuum hunc, coram throno qui in ecclesia sancta tua est, inclinatum, et expectantem donum a te obtinendum, quia te decet gloria, et a te expectat gratiam omnem magnam et perfectionem, teque adoramus et laudamus nunc etc.

*Sedra.* Glorificat te coelum, in coetibus spiritualibus, qui trinīs sanctificationum vocibus benedicunt majestatem tuam ineffabilem. Benedicit te terra per homines qui ex pulvere per praeceptum tuum creati sunt, quosque ad ministerium tuum pure et sancte fungendum assumere dignatus es. Domine, qui perspicis omnia, et potes omnia: qui per Filium tuum dilectum, Dominum Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum, et per illapsum Spiritus tui Sancti, commendasti dona haec spiritualia ministerii hujus naturae nostrae circumscriptae hominum terrenorum, quando Apostolos sanctos replevisti sanctitate tua incomprehensibili; et per eos claves sacerdotii spirituales, et auctoritatem judicandi nobis commendasti et concessisti: gratias agimus miserationibus tuis, et glorificamus bonitatem tuam, confirmati spe in te magna, et fiduciam in te retinentes, effundimus deprecationem et obsecrationis infirmitatis nostrae, coram majestate tua: precamurque clementiam tuam. Dele peccata nostra per miserationes tuas, et aufer insipientias nostras per gratiam tuam: praesta nobis ut adimpleamus et perficiamus praecepta tua, simulque perfecti in adimplendo justificationes tuas: et sufficientes simus ad ministrandum coram te, non declinando ad passionem nostras, et ad communicanda populo tuo dona tua excelsa et sublimia; tum ad offerendum ad altare tuum sanctum, eos, quos nutus cognitionis divinae tuae designavit et offert, ut ipsa misericordia tua illos roboraret atque perficiat mediante infirmitate nostra. Neque quasi digni sinus accedimus, sed in clementia